



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||**

**Ignacio <de Loyola>**

**Mogvntiae, 1600**

**VD16 I 56**

Quintum de inferno.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45165**

dum est ad D E V M Patrem , vt tripli-  
cem illam gratiam nobis largiatur ,  
& in fine semel recitandum Pater  
noster.

*Quartum exercitium conficitur ex  
repetitione.*

**P**Onitur repetitio eiusmodi, velu-  
ti quædam eorum ruminatio ,  
quæ meditatus sum in exercitiis  
prioribus , vt ea continuè remini-  
scendo , discurrat facilius intellectus  
sine diuagatione. Adiicienda quo-  
que erunt tria eadem colloquia.

*Q V I N T V M    E X E R C I-*  
tium est contemplatio de inferno ; con-  
tinetq; ultra orationem præparatoriam ,  
Et duo præludia, puncta quinq; , Et  
unum colloquium .

**O**RATIO præparatoria non dif-  
fert à superiore.

Prius præludium, hic habet

com-

compositionem loci, subiecta oculis imaginationis inferni longitudine, latitudine, ac profunditate. Posterius verò, consistit in poscenda intima pœnarum, quas damnati luunt, apprehensione, ut si quando me cœperit diuini amoris oblitio, saltem, à peccatis supplicij timor coerceat.

**P**unctum primum est; spectare per imaginationem, vasta inferorum incendia, & \* animas igneis quibusdam corporibus, velut ergastulis inclusas.

**S**econdum: audire imaginariè planctus, eiulatus, vociferationes, atque blasphemias in **C H R I S T V M**, & Sanctos eius, illinc erumpentes.

**T**ertium: imaginario etiam olfactu fumum, sulfur, & sentinæ cuiusdam, seu fœcis, atque putredinis graueolentiam persentire.

Quar-

**Q**uartum: gustare similiter res amarissimas, ut lachrymas, rancorem, conscientiæque vermem.

**Q**uintum: tangere quodammodo ignes illos, quorum tactu animæ amburuntur.

**C**olloquendo interim cum C H R I S T O , in memoriam adducendæ erunt illorum animæ, qui ad inferni pœnas damnati sunt, vel quia credere noluerunt aduentum C H R I S T I ; vel licet crederent, non tamen conformem præceptis eius vitam exegerunt: idq; vel ante aduentum Christi; vel eodem tempore, quo vixit Christus in hoc mūdo; vel post illud deinceps. Gratiæ postremò agendæ sunt eidem Christo quām maximæ, quod in tale quippiam exitium non permiserit me corruere; sed potius ad hunc vsq; diem summa pietate, & misericordia me prosecutus fit. Finis imponetur, dicto Pater noster.

Si vi-

**S**i visum erit ei, qui tradit exercitia, expedire ad profectum eorum, qui exercentur, alias meditationes his adiicere, ut de morte, ac aliis peccati pœnis, de iudicio, &c. non se putet prohiberi, licet hic non ascribantur.

Exercitiorum vero tempus ita distribuendum est, ut primum eorum fiat in media nocte; secundum mane, simul ac surrexerimus. Tertium ante, vel post Missæ sacram, non dum sumpto cibo. Quartum, circiter horam vesperarum. Quintum, hora ante cœnam. Quæ temporis distributio, singulis quatuor hebdomadis communis est: variari tamen potest, atque augeri vel minui, prout vnicuique, ad peragenda dicta quinque exercitia, ætas, animi, corporisq; dispositio, siue naturæ ipsius complexio subseruit.

¶ (o) ¶

*ADDI-*